

Friedrich-Universität Bützow

**Rector Et Senatus Academicus Academiae Fridericianae Buetzoviensis
Pentecostes Festos Dies, Civibus Pie Celebrandos Indicunt, Prævia Brevi
Meditatione De Ecclesia Evangelica, Æque Ac Primitiva Christiana, Absque
Successione Doctorum Personali, A Spiritu Sancto, Per Verbum Divinum Nata**

Buetzovii: Typis Johann. Gotth. Fritzii, [1763?]

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1788696433>

Druck Freier  Zugang





M_1258, 9.

RECTOR ET SENATUS ACADEMICUS
ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ
BUETZOVIENSIS

26.1763



PENTECOSTES FESTOS DIES,

CIVIBUS PIE CELEBRANDOS
INDICUNT,

PRÆVIA BREVI MEDITATIONE DE ECCLESIA
EVANGELICA, ÆQUE AC PRIMITIVA CHRISTIANA,

ABSQUE

SUCCESSIONE DOCTORUM PERSONALI,
A SPIRITU SANCTO,
PER VERBUM DIVINUM NATA.



BUETZOVII

TYPIS JOHANN. GOTTH. FRITZII, SEREN. PRINC. AUL.
ET ACADEM. TYPOGR.

M. 1258⁹

1486⁹

RECTOR ET SENATUS ACADEMICUS
ACADEMIE-FRIDERICIANAE
BUTZOVENSIS

PENITENCOS TES
FESTOS DIES

CIVIBUS PIE CELEBRANDOS
INDICANT

LABIA BREVI MEDITATIONE DE ECCLESIA
EVANGELICA, MOE AC PRIMITIVA CHRISTIANA,

ASSER

DISCIPULO DOCTORUM PERSONALI,
A SPIRITU SANCTO,

PER VERBUM DIVINUM NATA.



IN OFFICIO REGII SCIENTIARUM UNIVERSITATIS ROSTOCKENSIS

BUTZOVII

TAVIS JOHANNES GOTTFRIDUS PATRIUS, SEREX PAUC. AUL.
ET ACADEMICUS THEOLOG.



J. N. J.




Antiqua ista fabula, quam inde a primis reformationis initiis protestantibus occinerunt pontificii doctores, ubinam fuerit ecclesia ante LUTHERUM, & unde tandem ecclesiæ nostræ suam originem traxerint? non ad imperitæ plebis tantum oculos perstringendos accommodata est; sed & acutos nonnunquam, atque cæteroquin satis cordatos viros adeo percellit, ut, quamvis summam deformitatem gravissimosque errores ecclesiæ romanæ hodiernæ sentiant & manibus palpent, tamen ob istud putatitiæ apostolicæ successiōnis præjudicium, atque quod protestantium ecclesiarum originem suspectam, incertam & obscuram esse credant, a

A 2

se

se impetrare haud possint, ut magnam istam opinionem de ecclesia romana conceptam plane abjiciant, aut protestantes ecclesias earumque præstantiam recte & secundum rei veritatem æstimare discant. In his est celeberrimus iste Gallus, BERNARDUS DE FONTENELLE, qui, quod doctissimo BASNAGIO ad excusandam romanam ecclesiam opponeret, detraheretque ecclesiis protestantibus, aliud habuit nihil, præter hoc ipsum figmentum de illius apostolica successione, harumque origine incerta. a) Fingit vir ingeniosus duas reginas æmulas, nimirum duas ecclesias, romanam alteram, alteram genevensem, quarum utraque hæredem se venditet ecclesiæ hierosolymitanæ & apostolicæ: atque ut istius turpitudinem ingenue fateatur, concedatque, vix ullam in romana ecclesia lineam superesse alicujus similitudinis cum ecclesia apostolica, quam ille calami libertatem Bastillæ carcere per aliquot menses luere debuit; nihilo secius tamen exitus fabulæ is est, ut contendat, quod ad ipsos natales atque origines attineat, romanam ecclesiam sine ulla dubitatione aut contradictione esse apostolicam, atque per successionem haud interruptam genus suum a primitiva apostolica trahere, cum contra genevensis ecclesiæ nativitas, quæ & qualis sit, plane sit dubia, incerta & inexplicabilibus tenebris involuta, atque propterea vehementer suspecta: quæ quidem res quin romanæ ecclesiæ insignem præstantiam præ genevensi conciliet, dubita-

- a) Exstat fragmentum epistolæ gallicæ Fontenellii ad Basnagium datæ, qua iste hoc commentum exornare studet, apud
 b. PFAFFIUM, in Dissert. de success. episcop. artic. 12.



bitari haud possit. Neque ullum est dubium, quin FONTENELLIUS, quæ de genevensi ecclesia dixit, de cunctis ecclesiis protestantibus dicta esse velit. Veruntamen ingeniosum virum, hac quidem in re, & ingenium & iudicium videtur plane destituisse: qui, si abjectis præjudicatis opinionibus nudam veritatem voluisset intueri, facile deprehendere potuisset, prorsus contraria & inversa ratione, certe quod ad ecclesiam nostram evangelicam attinet, rem se habere. Atque hoc ipsum, ut Fontenellianæ fabulæ fraudem paucis ostendamus, nobis hoc loco propositum est. Equidem de romana ecclesia, quænam sint ejus origines, deinceps videbimus. Quod ad nostras vero ecclesias attinet, recte & summo jure quis paucis verbis FONTENEL- LIO cæterisque hujus generis scriptoribus, imitando istum hominem, cui CHRISTUS, JO. IX. visum restituerat, respondere possit: *istud vero plane mirum videri debet, quod tu ortum atque natales ecclesiæ evangelicæ te ignorare dicas, cum ex eodem spiritu ista, per idem verbum Evangelii, eodemque plane modo sit nata atque propagata, quo CHRISTUS atque Apostoli primitivam ecclesiam plantarunt atque propagarunt.*

Atque hoc loco istud primum probe tenendum est, nequaquam ecclesiam christianam primitivam ex ejusmodi aliqua successione doctorum personali origines suas duxisse, qualem pontificii ad probandam ecclesiæ veritatem fingunt necessariam esse. Fuerunt equidem Judæi atque adhuc sunt imbuti iisdem opinionibus de summa necessitate illiusmodi successione, atque id quidem ex iisdem rationibus, quibus hodie-



na ecclesia romana utitur. Etenim cum post cladem reipublicæ atque ecclesiæ judaicæ a Babyloniis illatam, ejusque restitutionem, Judæi sensim ad superstitionas quasdam observationes delaberentur, quibus defectiōnem a lege divina præcavere, ejusque obsequium in gente sua magis confirmare se velle putabant: eaque res a Pharisæis præcipue, haud adeo longo intervallo ante natum Christum in immensum esset aucta; quo constituerent auctoritatem aliquam his institutis, sese receperunt ad commentum istud de lege aliqua non scripta, quæ non modo multo amplior copiosiorque sit lege ista in Mosis scriptis comprehensa, sed jam ad ipsam legem scriptam recte intelligendam clavis loco esse debeat, sine qua verus scripturæ sensus a nemine recte quæri, multo minus inveniri possit. Atque hanc clavem affirmabant per manus quasi inde a Mosis tempore a majoribus semper esse posteris traditam, hancque doctrinæ successionem ejusmodi arctam habere connexionem atque cohæsiōnem, ut catenæ instar posteriores doctores eorumque doctrina per varia intercedentia membra cum ipso Mose cohæreant atque convenient: hujus vero successionis tantam esse præstantiam, ut nihil, quod ad religionem pertineat, quamvis vel maxime in scriptis Mosaicis inesse videatur, probari aut recipi possit, nisi ex isto doctorum sibi semper succedentium fonte sit haustum, ab iisque traditum. Hujus catenæ traditionariæ, ut ita dicam, atque successionis doctorum personalis rationem non tantum ex sequiorum Judæorum scriptis, *MAIMONIDE* inprimis, atque


atque MOSE KOTSENSI, BUXTORFIUS, b) SELDENUS c) POCOCCIUS d) aliique fuse explicarunt; sed & in ipsis scriptis novi Testamenti ejusdem falsæ persuasionis multa expressaque occurrere vestigia, deinceps videbimus. In hac vero traditionis serie atque successione nullus doctor habet locum, nisi qui per impositionem manuum legitime sit ordinatus: hæcque ipsa manuum impositio remedium istud atque instrumentum fuisse a Judæis traditur, quo Spiritus sanctus ordinato collatus, isque ad traditionem ad posteros propagandam idoneus redditus sit. Jam vero & illud observari meretur, quamvis privatos doctores ordinandi consuetudo inter Judæos jam antiquis istis temporibus recepta fuisse videatur, traditionis tamen & successione doctrinalis rationem non ad ejusmodi relatam esse privatos doctores, sed totam versatam ex Judæorum sententia, certe quod ad tempora post captivitatem babylonicam attinet, in synedrio magno illiusque præsidibus & assessoribus; quod quidem collegium Judæi æque infallibilem religionis custodem atque Judicem habuerunt, ac ecclesia hodierna romana pontificem suum, neque ullum cœtum crediderunt posse fieri vere judaicum, nisi qui cum isto collegio esset conjunctus, doctrinamque genuine Mosaicam ex illius ore & manibus quasi acceperit. Hæc est cathedra Moysis, quam Pharisei atque legis periti occupasse sibi videbantur, Matth. XXIII, 2. atque hinc est,

b) Recens. op. Talmud. quæ habetur post tract. de appreat. hebr.

c) de synedr. L. II, C. 16, p. 985. ff. d) Not. miscel. ad Port. Mos. p. 36.

❁ ❁ ❁

est, quod synedrii magni membra præcipue, aut certe ejusmodi doctores, qui istis arctissime adhærebant, ab illorumque auctoritate pendebant, sibi Mosis doctrinam, originesque indubitato divinas soli vindicarent, cæteris cunctis pro hominibus perditis & obscuris, suspectæque omnino atque falsæ doctrinæ auctoribus declaratis, Joh. IX, 28. 29. Hujus generis successione ecclesia christiana in primo suo ortu plane fuit destituta, neque uspiam Christus aut Apostoli ejusmodi quid doctrinæ suæ fundamenti loco substruxerunt, aut inde derivarunt divinam originem atque auctoritatem cœtuum recens institutorum. Habuit equidem ecclesia Messiana successione suam inde non solum a Mosis ævo, sed a tempore promulgati protevangelii, neque unquam, sub prisco etiam fœdere, esse desiit. Hæc vero successio non versabatur in barbatis istis superciliosisque Rabbiniis, neque necessario aut semper in collegiis quibusdam, publicam auctoritatem splendidamque aliquam formam habentibus: sed in piis nonnullis hominibus, qui, publicis collegiis, magnificisque illorum doctoribus in pejus ruentibus corrumpentibusque fundamenta patriarchialis atque mosaicæ religionis, privatim retinebant scintillas veri evangelii, candideque & ex animo circumspiciebant adventum Messicæ, Luc. II, 38. Atque hæc reliquiæ privatorum hominum fuerunt prima stamina, primique quasi lapides surgentis ecclesiæ novi fœderis: hæc fuit vera successio ecclesiæ, sed *doctrinalis*. Ab ista autem successione *personali* publicorum doctorum, inter Judæos tam vehementer jactata, nihil unquam auctoritatis mutuatus est Christus
aut



aut ipſius Apoſtoli. Hoc enim ut fecerint, tantum abeſt, ut potius Chriſtus atque primitiva eccleſia nullos acerbiores expertus ſit hoſtes, quam eodem illos doctores, qui legitimam continuamque a Moſe ſucceſſionem ſe poſſidere ſoli gloriabantur, quique hoc ipſum ſucceſſionis perſonalis commentum adhibebant tanquam firmiſſimum propugnaculum ad ſtatuendam ſuam auctoritatem, tollendumque atque deſtruendum Chriſtum cum tota ſua diſciplina. Quid quod & hodiernum nulla res propemodum inter Judæos curſum chriſtianæ religionis vehementius impediatur, quam vaniſſima iſta perſuaſio de ortu doctrinæ ſuæ per ſucceſſionem perſonalem apertam & haud interruptam ab ipſo Moſe. Nec illud quidem aliquam perſpicuam habet ſimilitudinem veri, Chriſtum atque ipſius apoſtolos recepſiſſe a Judæis ordinationem ad publicum doctoratum, ſive impoſitionem manuum, atque ea ratione ſaltem ſucceſſionem quandam perſonalem in fundanda atque excitanda eccleſia chriſtiana primitiva ſubſtituiſſe: quamvis hæc res inter eruditos ſæpius diſputata ſit. Ac ad Chriſtum ipſum quod attinet, CAMPEG. VITRINGA præ cæteris, multis adlatis rationibus probare conatur, omnino ejuſmodi aliquam publicam ad doctoratus honores promotionem in ipſo acciduiſſe. e) Sed ſi cuncta penitus conſideraveris, imbecillitas argumentorum facile apparebit. Præcipua ratio in eo ponitur, quod non ſolum Chriſtus ſine ulla interpellatione in ſynagogis ſcholiſque frequentiffime docuerit, quod licitum fu-
B iſſe

e) de ſynagoga vet. L. III, P. I, c. 7. p. 706. ff.



isse sine Rabbinismi sive doctoratus solemnī collatione
 vix videtur probabile; sed quod idem RABBINI & do-
 ctoris titulum atque appellationem ab aliis perpetuo
 acceperit, & ipse adhibuerit. Verumtamen, præterquam
 quod, hæ rationes quam parum efficiant, alii dudum
 observarint; f) ipse textus Evangelistarum adeo differ-
 te huic sententiæ refragari videtur, ut quidquid ratio-
 cinando atque conjectando quis in medium afferre pos-
 sit, cuncta tamen contra expressa historiæ verba nihil
 valere debeant. Conf. JOH. C. VII, 15. C. IX, 28. 29. in-
 ter priscos certe christianos nemini ista de Rabbinismo
 Christi cogitatio in mentem videtur venisse. ORIGE-
 NES differtis verbis Christum *μηδε γραμματα μεραδην-
 εναι, nullo modo litterarum studiis incubuisse, ne judaicis qui-
 dem*, affirmat. g) Nec TERTULLIANUM Vitringæ
 patrocinari, cuilibet aparebit, qui ipsum locum illius
 a Vitringa allegatum h) attente consideraverit. Id quod
 multo magis adhuc de apostolis affirmandum est. Ete-
 nim quamquam Paulum quis suspicari quodammodo
 possit, fuisse doctorem solemniter promotum: quod
 tamen admodum incertum neque ullis perspicuis ar-
 gumentis instructum est; de reliquis apostolis atque
 discipulis Christi quid magis perspicue dici posset ad
 probandum, ipsos ab ordinatione doctorum judaica
 longissime fuisse remotos, quam quod habetur, ACT.
 IV, 13. Verum enim vero, quo jam cunque modo ista
 se

f) Conf. SELDEN. de synedr. L. II. c. 7. BASNAGE l'Histoi-
 re de l'Eglise, Liv. I. chap. III. pag. 9. b. BAUMGARTEN.
 in not. ad Hist. univ. T. IX. §. 286. g) contra Cels. L. VI.
 p. 286. h) L. IV. contra Marcion.




se res habeat, nullius tamen momenti est ad stabiliendam aliquam successiōnem personalem doctorum sensu iudaico, qui idem est ac ecclesiæ hodiernæ romanæ, in fundanda primum ecclesia christiana. Fuerit sane Christus doctor solemniter promotus: fuerint & apostoli; & ipsum tamen Christum & ipsius Apostolos privatos tantummodo fuisse doctores, neque unquam ad synedrii magni confessum esse admissos, in aprico est. Atqui successiōnem istam legitimam, unde veritatem atque divinitatem disciplinæ suæ pendere putabant, ab ipsis ad istud collegium ejusque præsidēs & membra esse restrictam atque alligatam, jam supra observavimus: quemadmodum & pontificii doctores successiōnem istam, de qua tantopere gloriantur, non jam in privatis nonnullis hominibus ponunt, sed in episcopis, atque vel maxime in pontifice romano ejusque clero, seu cardinalium collegio. Ipsi certe Judæi, si vel maxime Christum esse doctorem legitime ordinatum haud ignoraverint, nihilo secius tamen ipsum ab ista traditionis & successiōnis suæ catena plane excluderunt, declaraveruntque pro homine privato & obscuro, qui origines suæ doctrinæ a Mose, per successiōnem nimirum perpetuam, ostendere haud possit, JOH. IX, 28. 29. Denique, ubinam Christus auctoritatem sibi & doctrinæ suæ ex eo conciliare unquam studuit, quod eam acceperit a successoribus Mosis canonice ordinatis? quamquam, quod ad primaria maximeque necessaria fundamenta religionis attinet, eandem tradiderit doctrinam, quæ a Mose atque prophetis erat tradita. Ubinam Apostoli in suis contra Judæos concertationibus provocarunt ad ejusmodi prærogativam magistri sui, aut ex eo doctrinam christianam stabilire conati sunt, quod Christus in ista a Mose prodeunte doctorum serie sit per ordinationem aliquam presbyteralem Mosis & prophetarum legitimus successor? longe aliis argumentis pugnarunt & Christus & ipsius discipuli, planeque aliis fundamentis superstruxerunt ecclesiæ ædificium.

Jam vero, quænam sint ista fundamenta, atque quibus-



nam rationibus & remediis plantarint primitivam ecclesiam? paucis dispiciendum est. Quo quidem loco istud primum nemi- ni obscurum esse potest, qui unquam primas origines ecclesie christianæ, prouti in ipsa scriptura sacra continentur, attente consideraverit, cuncta a principio statim & in ipso ponendo fundamento ad divinas litteras, libris Mosaicis atque propheti- cis comprehensas, relata fuisse. Ita præcursor Messie suum cha- racterem officiumque ex istis divinis libris describit atque repe- tit, Jo. I, 23. Ita ipsius discipuli his unis rationibus adducti, in- structique a magistro e sacris litteris, qualis esse debeat Messias, ad Jesum Nazarenum accedebant, quod in ipso hæc ipsa indicia a Mose & prophetis significata se deprehendere sibi visi sunt, I. c. v. 46. Ita ipse Christus in primis statim concionibus & in to- to cursu muneris sui prophetici, ad divinos libros provocans, ex iis Messiam se agnosci a Judæis vult, JOH. II, 17. 22. C. III, 14. C. V, 39. 46. 47. LUC. IV, 21. 22. MATTH. XI, 4. ff. Ita homi- num congregationem ad suam ecclesiam, apostolorum ministe- rio efficiendam, a verbo divino suspendit, JOH. XVII, 20. ita denique ipsorum apostolorum animos confirmare, immobilesque ad sublime istud ipsis demandatum munus reddere studet, ut perspicuam certamque ipsis impertiret scripturæ notitiam, LUC. XXIV, 44 ff. Quid vero deinceps apostoli? collige cunctas con- ciones ipsorum ad Judæos habitas, inter quos auctoritas verbi divini, libris veteris Testamenti comprehensi, dudum erat stabi- lita, & ubique eos videbis hoc ipsum præcipue fundamentum adhibere ad convincendos Judæorum animos, suæque doctrinæ veritatem auctoritatemque constituendam, sicque cœtus christi- anos primos colligendos, ut ipsos ablegarent ad Mosis & pro- phetarum divina scripta, utque ipsa miracula ad unum istud ostendendum referrent, cuncta a prophetis prædicta nunc qui- dem in Jesu Nazareno esse adimpleta, atque hanc propterea di- sciplinam, quam ipsi tradant, esse Messianam, veram, & divi- nam. Conf. ACT. XVII, 2. 3. 11. C. II, 16. ff. 1 PETRI. I, 23. ff. Inter gentes vero apostoli primum sibi & doctrinæ ab ipsis tra- den-

dendæ intervenientibus miraculis auctoritatem conciliare, sicque divino verbo viam quasi & accessum ad ipsorum animum parare quidem debebant: simul ac vero hoc esset effectum, ab ipso verbo divino cuncta, quæ ad christianam religionem plantandam cœtusque christianos colligendos pertinebat, esse profecta, summo studio discipulis suis inculcabant, hosque, ut huic uni fundamento adhærerent, & ad istud, quidquid ipsis præterea a quocunque homine foret tradendum, referrent atque exigent, serio magnaue contentione hortabantur. EPHES. I, 13. GALAT. I, 8 ff. I JOH. IV, 6. Tota igitur Christi ecclesia in primis suis initiis confestim prognata est ex isto spiritali semine verbi divini, atque fundata & excitata super idem illud mirabile verbum, EPHES. II, 20. Neque vero vel ipse Christus, vel ipsius apostoli homines serio docere unquam prætermiserunt, quænam sit ista admiranda virtus, tantos effectus mediante verbo divino in ipsorum animis progignens, qua toti immutati veraque fide præditi, membra genuina ecclesiæ christianæ redderentur: hoc nimirum non syllogismorum, aut eloquentiæ humanæ esse opus, sed SPIRITUS SANCTI, per verbum in ipsorum animum illabentis atque descendentis. Ita Paulus in universum genuinam sobolem Messiani regni, quam ROM. IX, 8, per evangelii verbum generatam esse prædicat, alibi Spiritus sancti progeniem esse testatur, GALAT. IV, 23. 29. humani arbitrii viribus hocce negotio detracto, & ad Spiritus sancti vim & efficaciam cum verbo divino conjunctam in solidum relato. Neque aliter ipse Servator, JOH. VI. qui cum refutaret Judæorum de salutis negotio carnales conceptus, addit, totam salutis causam in eo contineri, non ut suis ratiociniis suæque intelligentiæ viribus se permittant homines, sed ut Spiritus sancti gratiam cum ipsius verbo conjunctam admittentes & ad veram fidem perducti, vitam vere divinam nanciscantur: ita ut hujus fidei principium sit Spiritus Dei per verbum operans, effectus vero divina vita, conf. cap. c. v. 44. 63. 65.



Hi cum sint natales ecclesie primitivæ christianæ, sequitur, ut cum istis origines ecclesie nostræ evangelicæ conferamus. Neque vero longa disputatione opus erit ad probandum id, quod supra propositum est. Cum in occidentis solis partibus ecclesia per plura sæcula tyrannico quodam dominatu pontificis romani esset oppressa, quod multi paulo cordatiores viri, in communione romanæ ecclesie cæteroquin persistentes, haud inficiantur, atque sub hac tyrannide ipsa interna ecclesie forma religioque a Christo tradita miserimam induisset faciem, ita, ut propemodum in locum veræ fidei & pietatis nihil nisi superstitio foeda gravissimique errores successerint; existit repente b. LUTHERUS, totam hanc superstitionis & errorum molem, qua premebatur ecclesia, maximo animo aggressurus, ostensurusque, quænam sit genuina facies atque indoles christianæ religionis, atque qualem eum esse oporteat, qui veræ ecclesie Christi genuinum membrum esse velit. Jam in his conatibus LUTHERUS ejusque amici neque aliis armis superstitionem oppugnabant, quam fulmine & gladio divini verbi, neque aliunde doctrinam, quam ipsi tradebant, repetitam, examinatam, probatam esse volebant, quam ex eodem verbo. Ad hunc divinum librum convocabant universum mundum christianum: ad ejus præscripta exigi jubebant, quid fide tenendum, quid in vita sequendum sit: non sibi, sed Deo ejusque præceptis credi volebant. Nulla vis externa, nullæ fraudes, nullæ artes humanæ, apparebant in beatis Reformatoribus: solo argumentorum, e scriptura depromptorum, pondere, solaque occulta ista atque cœlesti vi & virtute Spiritus sancti, quæ cum ipso verbo est intime conjuncta, animus hominum capiebatur, infinitaque multitudo potentia verbi & Spiritus constricta, eo adducebatur, ut ejuratis superstitionibus & erroribus, quibus religio christiana inquinata erat, sese aggregarent ad amicitiam communionemque LUTHERI. Atque hoc quidem totum, cum ipsi hoc loco ex historiarum monumentis copiosius monstrare pro instituti ratione haud



haud posimus, summo tamen jure tanquam dudum evictum tamque luculenter ab aliis i) demonstratum assumimus, ut adversariis nil nisi impudentissima mendacia, impuræque criminationes innocentium virorum relictæ sint. Jam vero ridiculum est & absurdum, successione & origines ecclesiæ nostræ culpæ & suspectas reddere velle. Quamquam enim major, & quod ad externam speciem attinet, splendidior pars ecclesiæ, collegia nimirum publica atque præfecti ecclesiæ, sive episcopi, plerique vinculis ignorantæ atque superstitionis per nonnulla sæcula tenerentur, atque genuinam religionis christianæ faciem in dies magis corrumpere; nunquam tamen media in ista caligine defuerunt privati doctores atque pii homines, qui gementes sub tyrannidis jugo, & ipsi quærentes veram salutis viam atque Christi doctrinam, & aliis eandem viam voce & scriptis monstrarent. Ab his recipiens b. LUTHERUS primas scintillas veritatis evangelicæ, verbo divino armatus, in medium prodire cœpit. Hac luce exoriente, ut hoc loco de istis coetibus purioribus, qui jam ante Reformationem aderant, nihil dicam, ipsæ dispersæ istæ in medio papatu reliquæ veri christianismi turmatim concurrunt, atque ad majorem spem erecti, coetus condunt, in quibus, resecta superstitione, pure Deum ex præscripto Christi colerent: alii, eadem luce percussi & intime convicti, ignorantiam abjiciunt: magistratus civilis multis in locis eadem veritatis vi captus connivet, laudat, juvat conatus hosce, ipseque se aggregat ad hosce coetus purgatumque divinum cultum. Atque hoc modo, hisque remediis erectum est novum istud ecclesiæ evangelicæ ædificium, frementibus & furentibus impiis, stupente mundo, medias inter tempestates, persecuciones, injurias ab adversariis illatas. Hasce ecclesiæ nostræ origines

i) ab iis præprimis, qui historiam reformationis conscripserunt. Conf. qui recentissime hanc causam succincte peroravit, vener. D. KIESLINGIUS in dem Beweis der Wahrheit der evangel. Luther. Religion, Sect. II. C. III. ff.




nes qui culpam ac vituperare velit, ipsius primitivæ ecclesiæ christianæ natales culpet atque vituperet necesse est. Neque enim in primo ortu evangelicæ ecclesiæ commentitia ista successio doctorum personalis, eaque canonica, magis desideratur, quam in prima plantatione ecclesiæ christianæ. Nec obstat, quod Christus ejusque apostoli miraculis confirmant doctrinam a se traditam, atque propterea defectum successionis canonicæ miraculorum dono compensasse videantur: quod quidem totum a nostræ ecclesiæ originibus alienum est. Etenim quam male, & quam sine ulla ratione quis hac re foret abusus ad oppugnandam originem ecclesiæ evangelicæ vere divinam, vel tribus verbis ostendi potest. Ac primo quidem miracula per se & proxime esse ecclesiæ fundamentum, nullo modo dici potest. Neque enim ista per se & proxime hominum animos isto salutari modo immutare eamque mentis statum gignere valent, qui, ut quis verus christianus esse possit, requiritur. Hoc enim totum efficitur per divinum verbum, cui aditum tantum quodammodo parare possunt miracula, atque fidem aliquam humanam conciliare apud eos, qui divinam ejus auctoritatem nondum agnoscunt, atque homines attentos reddere ad recipiendum ipsum verbum. Duplicis nimirum generis homines colligendi erant, ut cœtus inde & ecclesiæ christianæ efficerentur, Judæi & gentes. Apud istos ipsa scripturæ s. auctoritas, quam agnoscebant, postulabat, ut Messias inter cæteros characteres etiam miraculis esset insignis: quæ igitur ab ipso erant perpetranda, non eo consilio, ut per hæc ipsa miracula proxime & per se Judæorum animi divinitus immutarentur, sed ut ipsum Mesiam agnoscerent verbaque ejus reciperent, quorum divina vi proprie & per se istud salutis negotium in mentibus eorum perficeretur: ad quem quidem scopum miracula omnia ab ipso Christo ejusque apostolis esse relata, jam supra observavimus. Inter gentes vero pro istorum temporum ratione nullum compendiosius efficaciusque remedium erat, ad earum animum percellendum, ut divinum splendorem ipsius verbi divini ab Apostolis annunciati agnosce-

scerent & admitterent, utque hac ratione huic verbo auctoritas necessaria atque fides quædam humana inter eas constitueretur, quam stupenda ista miracula. Quid jam hæ rationes ad ipsam ecclesiam? in qua verbi divina auctoritas in confesfis est. Media in ecclesia beati Reformatores non proprie istud susceperunt negotium, ut nunc demum demonstrarent, Jesum esse Messiam, doctrinamque ejus a Deo proficisci: sed ut istos, qui profitebantur Christi religionem, revocarent ad ejus genuinam indolem, hominum partim negligentia partim malitia misere corruptam. Neque igitur ab ipsis per miracula erat demonstrandum, *quod* sit religio christiana vera & divina: sed tantummodo ex præceptis atque institutis Christi apostolorumque ostendendum erat, *qualis* ea esse debeat. Deinceps Messias, quod ad externam ecclesiæ formam attinet, multa erat abrogaturus, quæ mandatum habebant divinum, multa introduçturus, quæ adhuc a Deo præscripta haud erant, totam denique externam ecclesiæ œconomiam per legatos suos immutaturus, novamque plane & adhuc inauditam traditurus. Quæ cum cuncta ab ipso Deo essent prædicta; ne deciperentur Judæi, Messias luculentissimis characteribus erat descriptus, inter quos, ut modo diximus, miracula locum habebant. Quo illud efficiebatur, ut neminem Judæi per ipsum præceptum divinum, tanquam Messiam agnoscere, aut ullius doctrinam recipere possent, nisi qui isto miraculorum dono fulgeret. Atqui b. Lutherus ejusque amici, neque quidquam eorum, quod a Christo & apostolis erat institutum & præceptum, abrogatum volebant, neque novam ecclesiæ formam adhuc nondum institutam, auctoritate aliqua immediate divina se introducere velle unquam dicuntabant, sed priscam illam formam a Christo & apostolis profectam tam doctrinæ quam cultus divini, observatam cupiebant. Neque etiam post constitutam illam a Christo & apostolis novam œconomiam, usquam a Deo prædictum est, futurum esse quemquam, qui novis miraculis novum quoddam doctrinæ & cultus divini genus sit introduçturus; sed tota ecclesia in perpetuum alligata & adstricta est

C

ad




ad illud, quod semel Christus legatique ejus tradiderunt, atque secundum istam formam semel traditam ecclesia, quidquid ad religionem pertinet, exigere, dijudicare, & tenere est iussa, JOH. VIII, 31. 32. GALAT. I, 7-9. 1 JOH. IV, 6. JUD. 3. 17. 20. In ipsa igitur ecclesia nunquam jure quis miracula requirere possit: sed argumentis duntaxat exegeticis & historicis opus est, ut appareat, qualem tradiderint atque esse voluerint Christus ejusque legati doctrinæ atque cultus divini formam & rationem. Ostendant vel unicam voculam adversarii e cunctis Christi concionibus aut apostolorum scriptis, qua per seculum tempora christiani, si inter ipsos quæstiones dubiæ inciderent de vera religionis forma, ad miracula ablegarentur. Contra ea ecclesiam gravissime admonitam videmus, ut sibi caveat ab ejusmodi doctoribus, qui post doctrinam a Christo & apostolis semel constitutam, nova miracula crepant MATTH. XXIV, 24. 25. 2 THES. II, 9. 10. Neque in seculis, postquam ecclesia in varias sectas divisa & discerpi cœpit, Deum unquam ad dirimendas controversias firmandamque hanc vel illam partem, miracula perpetrasse, genuinis & indubitatis historiæ ecclesiasticæ monumentis comprobari potest. Ac quæ seculo quarto & deinceps nonnunquam jactari cœperunt miracula huc pertinentia, imperitiæ potius atque superstitionis gliscentis speciem, quam veritatis & fidei historicæ, præ se ferunt: a quibus propterea prudentiores avocare studebant homines, & ad una argumenta exegetica & historica ablegare: id quod vel ex unius *Augustini* disputationibus contra *Donatistas* abunde probari posset, si nobis hoc loco longioribus esse liceret. Nihil igitur genuinis originibus ecclesiæ evangelicæ defectus miraculorum obest.

Reliquum est, ut, quænam sint origines hodiernæ ecclesiæ romanæ, paucis dispiciamus. Atque hoc loco illud omnium primo tenendum est, quod nemo inficiatur, ecclesiam non externis locis aut ædificiis contineri, sed hominibus, qui cœtum aliquem efficiunt. Neque, quænam sit indoles ejusmodi cœtus, atque quodnam judicium de illo ferre nos oporteat, aliunde

unde constitui debet, quam ex indole, principiis, doctrina, atque moribus hominum, ex quibus iste constat. Deinceps istud iudicium recte formandum nequaquam secundum illud ferri debet, quales olim fuerint homines, præteritis temporibus ecclesiam aliquam componentes: hi enim dudum hinc migrantes, aliis semper succedentibus locum reliquerunt. Sed ad hos ipsos posteriores, qui deinceps secuti sunt, semper, & ad eos, qui nunc adsunt, coetumque aliquem efficiunt, attendendum, num eodem Spiritu, eadem doctrina, eodem animo, iisdemque consiliis contineantur, quibus priores. Hoc si aliter se habeat, locorum quidem atque ædificiorum, multarumque crepundiarum hæredes, aut potius usurpatores isti posteriores esse possunt, at nullo modo earum rerum, quæ proprie ecclesiam Christi efficiunt: neque ullo jure, ad has quidem res quod attinet, pro priorum posteris & sobole genuina se venditare queunt. *Arculas & theculas ornamentorum, quæ veram decent ecclesiam, habent: ornamentis & opibus ipsis spoliati sunt.* k) Qualia igitur sunt membra ecclesiæ quibusvis temporibus, quod ad doctrinam inter ipsos solemniter & publice receptam atque propugnatam, totamque animi indolem moresque ex ista doctrinæ forma necessario resultantes, attinet, talis est ipsa ecclesia. Quod si jam ecclesia romana hodierna longe alio, quam Christi Spiritu, sit repleta & regatur, sique tota doctrinæ atque disciplinæ forma, quæ in illa viget, recipitur, atque propugnatur, defectionem hominum a Christo, a doctrina & moribus apostolorum, & in universum ab indole ecclesiæ primitivæ necessario secum ferat; obscure esse haud possit, desiisse eam veram Christi ecclesiam esse, neque ullo modo ab apostolis primisque coetibus christianis, sed aliunde prognatam esse, proptereaque spurias habere origines. Posse vero ejusmodi quid in coetu aliquo, qui primitus vera Christi ecclesia fuerit, accidere, nunquam dubitarunt præfati patres, ac ne scholastici quidem doctores ipsi. Unum laudare

Jan A (ur 1480 in q. 100 C 2) 1480 A 23. consil. A. 1000 dare

k) ISIDORUS PELUS. L. III. Epist. 408.



dare in præsentia *Hilarium*, juvabit, cujus verba apprime quadrant ad nostrum institutum. *Cavete*, inquit, *Antichristum: male enim vos parietum amor cepit: male ecclesiam Dei in tectis edificiisque veneramini: male sub his pacis nomen ingeritis. ANNE AMBIGUUM EST, IN HIS ANTICHRISTUM ESSE SESSURUM?* l) Hinc accidit, ut ipsa ecclesia romana ecclesias orientales, quamvis externum apparatus ecclesiarum apostolicarum teneant, quod tamen, ut ipsa putat, a Spiritu & doctrina apostolorum defecerint, pro spuriis habeat. Atque hoc loco plane mirabile est, inter ipsos romanæ ecclesiæ affectas, quid quod inter *Jesuitas*, esse viros magni nominis, qui Antichristum ex hac ecclesia surrecturum in eaque sedem suam fixurum, vaticiniorum apocalypticorum perspicuitate coacti, cordate fateantur. Jam ante reformationis tempora *Guilielmus, Archiepiscopus senonensis*, Alexandri III. pontificis legatus, ad hunc ipsum pontificem in epistola quadam, a Baronio edita, m) *siquidem, ut nostrates ajunt, scribit, ibi (Romæ) solvitur Satanas in perniciem totius ecclesiæ. Ribera, Jesuita, in suis in Apocalypsin commentariis, cap. 14, de casu Babylonis & de Bestia: de Roma intelligendum, inquit, non solum qualis sub ethnicis Imperatoribus olim fuit, SED ETIAM QUALIS IN FINE SÆCULI FUTURA EST.* Pari modo *Viega*, in cap. 17. Apocalypf. *omnia, quæ in his capitibus commemorantur, in Romam urbem apertissime quadrant: ceterum nomen Babylonis ad eam Romam transferendum, quæ antequam reciperet fidem Christi, idolis serviebat, ET AD EAM, QUÆ ERIT TEMPORE ANTICHRISTI.* n) Prodent hi homines palladium dominatus pontificii, de necessaria perpetuitate atque infallibilitate ecclesiæ romanæ. Nos vero hoc quidem loco hanc ingenuam confessionem eo tantum conferimus, ut, cum ecclesia romana plane amittere possit Spiritum Christi & apostolicum, rebellatricemque fieri

l) contra Arianos & Auxentium, opp. p. m. 284. m) Annal. T. 12, an. 1170. num. 9. n) conf. Mornayi myster. iniquit. p. 5.

fieri contra Christum, si quidem demonstrari possit, id calamitatis jam olim accidisse in hac ecclesia, atque ex isto Spiritu rebellante hodiernam ecclesiam rom. esse progeneratam, dubium nemini amplius esse possit, spurias esse origines hujus ecclesiae, summaque injuria eam natales suos referre ad ecclesiam Christi primitivam. Atqui romana ecclesia adulterata, corrupta, vitiata haud fuerit? quæ a suis ipsius episcopis alleccta, Christum dimisit, alii se adjunxit, & quæ Christi sunt, nefando sacrilegio adulteris tribuit: his ipsis nimirum episcopis suis, qui non modo locum, sed & totam dignitatem Christi in ecclesia vi, fradibus, armis, mendaciis ad se rapuerunt. Non jam Christus est sponsus ecclesiae romanæ, sed pontifex se in hunc locum intrusit. *Annon ego sponsus sum*, inquit Innocentius III, o) & *quilibet vestrum* (cardinales suos alloquitur) *amicus sponsi? utique sponsus: qui habeo --- romanam ecclesiam ---- cum hac mihi sacramentale conjugium: cum hac mihi commercium nuptiale.* Sed primitiva ecclesia ad unum Christum adducta, hunc solum sponsum, cunctos doctores ut servos & paronymphos agnovit. JOH. III, 29. 2 CORINTH. XI, 2. Non est igitur romana ecclesia primitivus iste Christi cœtus: utpote quæ relicto vero sponso, paronymphum illicitis amoribus sponsi loco admisit. Quid jam mirum, si episcopus romanus, qui in sua ecclesia nefando ausu domini sui locum occupavit, cunctis se ornare & hominibus commendare titulis & nominibus haud erubuerit, quæ in vera ecclesia uni Christo competunt & tribuuntur? Quis haud horreat & stupeat ad blasphemias istas appellationes, quas cum ipsi episcopi romani in jure canonico, in rescriptis suis, in decisionibus rotæ rom. sibi arrogarunt, tum gnathones effutierunt: *Quod pape voluntas sit regula equitatis & juris: quod papa in hoc mundo potest absolute facere, quæcunque Deus facit: quod sit papa omnia & super omnia: quod si multa animarum millia*
C 3 *secum*

o) *Innocentius III. Serm. 3. in consecrat. pontif. conf. Ufferius de successione eccles. c. 9. p. 255. s.*



secum abducat in infernum, nemo tamen dicere debeat, quid facis? omnem papæ datam esse potestatem in cælo & in terra, quæ se porrigat ad cælestia, terrestria, infernalìa: quod a papa ad Deum appellare non licet: quod papa potest contra epistolas Pauli statuere, quia major est Paulo. Denique plane dubitari posse & debere, homine sit papa, an vero Deus? p) Nec inanes fuerunt hi conatus episcopi romani: persuasit ecclesiæ suæ, quæcunque volebat: allexit eam, ut se hac rebellionis Spiritu imbui pateretur. Audi immanes voces concilii lateranensis in præsentia LEONIS X. habiti: applicant ad istum, quæ de Christo Pater dixit, omnes reges terræ adorabunt eum & ei servient: acclamant pontificii, jube, impera, manda, quidquid libuerit, quacunque hora: omnis potestas tibi data est: simillimus es Deo, qui a populis adorari debes: appellant eum, vestram divinam majestatem, & principem totius mundi. q) Cave putes, episcopos romanos deinceps & post reformationis tempora verecundiores esse redditos. Ipse *Baronius* eo impudentiæ progreditur, ut de GREGORIO VII, homine turpissimo, affirmare haud vereatur, ipsum sublimis illius nominis Christi participem factum esse, quo donaverit ipsum Pater, ut dominaretur a mari usque ad mare, PSALM. LXXII, 8. r) Et quod jam ipsa impudentia impudentius, PAULUS V, episcopus rom. in libris publice impressis, jussu superiorum editis, ab ipso pontifice in solenni congregatione cardinalium approbatis, non jam dicitur modo vice Deus, christianæ reipubl. monarcha invictissimus, pontificiæ omnipotentæ conservator: parum est: ipse pontifex pingitur sedens in throno, in capite inscriptionem gerens, vult imperium portendens: circumstant reges & principes terræ adorabundi: circumscribuntur & ad pontificem applicantur summa blasphemia, voces de solo Christo pronunciatæ: *Dedit ei Dominus potestatem & regnum, & omnes populi*
ipse

p) conf. Mornayi Tractat. de ecclesia cap. VIII. p. 188, f.

q) vid. Sess. I. 3. 6. 9. hujus concilii. r) Annal. an. 1073. num. 16.

*ipsi servient: potestas ejus, potestas est eterna --- vultu inter-
ram demisso pulverem pedum tuorum lingent. s)*

Ut totam hanc causam post tot præstantissima scripta protestantium Theologorum de apostasia & antichristianismo romanæ ecclesiæ, pertractem, nemo prudens a me expectaverit hoc loco. Cæterum vel hæc pauca veras origines hodiernæ ecclesiæ rom. satis aperte nobis recludunt. Ex quo enim ista ecclesia hisce imbuta & repleta fuit opinionibus, hocqve Spiritu imprægnata, desinens esse Christi sponsa veraqve ejus ecclesia progenit filios spurios. Etenim quid magis abominandum, quæ major abnegatio Christi esse possit, quam totam potestatem ecclesiæ homini cuidam in manus tradere: fidem, salutem, obsequium, ab homine quodam suspendere: conscientiam ipsam homini subicere eique regendam permittere: verbum divinum contemnere, negligere, vituperare, opprimere: ab ore hominis cuiusdam pendere: ipsam antiquitatem christianam ludibrio habere, eique insultare: repugnantes quoslibet pios viros odio habere, persequi, opprimere: bella, cædes, ignem ubiqve circumferre: rempublicam rebellionibus, turbis, sanguine miscere: jura omnia divina & humana evertere: ipsum Dei sanctissimum Nomen nefandis hisce conatibus horrendo abusu prætere, totamqve Christi doctrinam corrumpere, & ad istud dominatus papalis systema accommodare? Hæc enim cuncta ab episcopis romanis eorumqve satellitibus facta esse & fieri ad stabiliendam istam dominationem suam in ecclesia, tam apertum est, quam quod apertissimum, & luculentissimis testimoniis ipsorum scriptorum romano-catholicorum confirmari potest: ita tamen ut inde a primis hujus defectionis initiis infiniti fuerint non jam privati homines, sed illustres doctores & episcopi, quin & integra concilia, qui quo cuncta hæc vergerent, probe videntes, episcopum rom. rebellionis contra Christum accusatum, lupum, vastatorem ecclesiæ, atqve antichristum aperte pronuntiarent, haud pauci etiam integros coetus formantes ab ejus communione recederent,

res-

s) conf. Mornayi *myster. iniquit.* in præfat.



resque suas sibi habent: In quibus cunctis semen veræ ecclesie apostolicæ conservatum, reliquiarque ejus passim dispersæ sunt, unde deinceps Christus primos cœtus puriores tempore reformationis produceret. Nescio, quomodo viri haud pauci prudentiores, sed cæteroquin in communione cum rom. ecclesia persistentes, cum hæc blasphema & abominanda tentamina episcoporum romanorum negare haud possint, nec etiam defendere audeant, quo tamen hanc suam communionem excusent atque pallient, discrimen fingere velint *inter pontificem romanum ejusque curiam, atque inter ecclesiam romanam*. Etenim absit, ut cunctos cum ecclesia romana communicantes earundem blasphemiarum & abnegati Christi accusemus. Quemadmodum enim ante reformationis tempora infiniti fuerunt tam simpliciores, quam prudentiores, qui, quamvis in communione cum rom. ecclesia viverent, puros tamen se servarunt ab isto adulterino semine spiritus papalis, & Christo adhæserunt: qui nimirum, uti modo dictum est, ipsi partem aliquam dispersarum reliquiarum veræ ecclesie constituerent; ita & hodiernum non modo multi fortasse vivunt simpliciores in ista communione, qui non norunt has satanæ profunditates: sed & multos videmus cordatiores viros aperte horrere crassos certe istos papæ conatus, intrudendi se in locum ipsius Christi & constituendi monarcham infallibilem ecclesie. t) Equidem in veras causas, quibus retinentur

t) In his præ cæteris commemorari meretur JOH. BARNESIUS, Monachus Benedict. e cujus *catholico romano pacifico* excerpta nonnulla habentur in Edit. lat. TRACTATUS USSERIANI de origine episcop. Append. p. 158, ff. qui inter alia disertis propemodum verbis bullam istam famosam, *in cœna Domini*, hæreticam pronunciat: quanquam ipsi male cesserit hæc oris libertas. Nec in RICHERII, LAUNOYI, DUPINII, aliorumque, Gallorum præcipue, scriptis loca desunt, quibus curiales romani haud obscure hæreseos insimulantur. In ipsa Germania nostra hac ætate nonnulli acutius videre


tur ejusmodi viri in communionem ecclesiæ rom. inquirere, hoc loco nihil attinet. Istud vero monendum est, hanc quidem rationem, quam proferunt, de discrimine curiæ & ecclesiæ rom. nullam esse, neque cum reliquis istorum principiis posse ullo modo consistere. Etenim cum aliis locis totam ecclesiæ virtutem atque formam versari dicant in episcopo ejusque clero, atque propterea, qualia sint decreta & sententiæ episcopi ejusque cleri, talia ipsi ecclesiæ tribui oporteat; sequitur, ut romana ecclesia, quatenus particularis quædam ecclesia est, itidem talis sit, qualis est papa ejusque cardinales, atque is, qui cum ecclesia romana communicat, communionem habeat cum ejusmodi hominibus, quos ipsi hi viri cordationes hæreticos & blasphemos esse putant.

Concludamus jam rationes, atque videamus, quam longe aliter res se habeat cum ecclesia romana ecclesiisque evangelicis, si quidem totam causam fabula quadam de duabus reginis enunciare velimus, ac FONTENELLUS eam pingere conatus est. Ecclesia romana mediis sæculis deficiens a Christo ejusque Spiritu & verbo, corrumpi & imbui se passa est alieno spiritu: relictoque Christo, unico-sponso & capite, adjunxit se ministro perduelli & rebeli contra Dominum & ipsius & ecclesiæ, atque concessit & tribuit ipsi omnem locum & potestatem, uni Domino debitam. Ex hoc impuro connubio & rebeli spiritu prognata est

D

dein-

videntur. Quæ istis *principiis juris publici ecclesiastici*, acciderint, quorum Auctor perhibetur vir eruditus, GE. CHRIST. NELLERUS, canonicus Trevinensis, nemini eruditorum ignotum est. Quærit REN. MASSUETUS in Proleg. ad *Irenæum*, contra *Grabium* disputans, quænam sint ista vitia, quæ rom. ecclesia admisisse accusetur? hem impudentem dissimulationem! quasi vero ignorare Masfuetus potuerit, quanta & quam gravia crimina episcopo & clero romano, in ipsis dogmatibus, certe quod ad hierarchiam ecclesiasticam attinet, ab ipsis scriptoribus romano-catholicis sint impacta.



deinceps & propagata posterior ecclesia romana. Quæ locum externum, sedem, ædes, titulos, pristinae ecclesiae apostolicæ occupans, non modo inverſis corruptisque cunctis institutis Christi & apostolorum, ne lineam quidem ullam similitudinis præ se fert ecclesiae illius priscae, cujus prolem se falso jaçtitat; sed & apertas & in oculos totius orbis manifeste incurrentes origines adulterinas, spurias, & alienas habet, ab infinitis cordatis viris statim a primis nativitatibus temporibus detectas acriterque perstrictas. Hæc vero usurpatrix, cum occupatam sedem aliter tueri haud posset, quam vi fraudibus & armis, fugavit, oppressit atque dispersit verum semen atque sobolem ecclesiae apostolicæ: quæ dispersæ reliquiae sæpius in campis atque desertis locis latitantes, nonnunquam fortiter erumpentes ostendentisque, esse adhuc in his terris semen atque prolem apostolicæ ecclesiae, tandem dispensante Christo, corroborante hanc suam sponsam ejectam e sedibus pristinis & improba vi oppressam, collegerunt majores vires reformationis tempore, atque publice reductis priscais juriſibus & legibus, cœtus publicos ecclesiamque oculis conspicuam constituerunt. Hæc igitur ecclesia, quæ, quo se discerneret a pseudochristiano regno papali, evangelicæ nomen adscivit, & quoad faciem exteriorem notas apertas similitudinis cum matre ecclesia nimirum apostolica præ se fert, & origines habet aperte genuinas, quæ a nemine, qui partium studio vacuus sit univque veritati litet, in dubium vocari possunt, utpote e genuino Spiritu Christi, semineque vere divino & apostolico, verbo divino, pro-
gnata.

Totum hocce vero, CIVES, quantopere ad nos pertineat, intellectu facile est. Ac primo quidem loco nostri est officii, summa beneficia divina grato animo recolere, quod in ecclesia vere apostolica nati constitutiſque simus, habente purum semen veri christianismi, verbum divinum: unde quilibet nostrum ipse, dummodo velit, genuinum vivumque membrum sponsæ Christi effici queat. Quanta, proh dolor! quamque nefaria oscitantia
ani-

animos multorum occupaverit, e quidem videmus: qui per integram vitam vix secum reputantes, e quantis tenebris dominatus papalis eduxerit Deus ecclesiam nostram, quantoque & quam gravi jugo errorum atque superstitionum liberaverit; floccipendunt, quidquid Deus per beatos reformatores effecit, gravissimas doctrinas, quibus discernimur a romana ecclesia, ut res levissimas exiguique momenti contemnunt, parumque abest, quin discessionem nostram ab ecclesia romana minus necessariam, communionemque cum ea innocuam, obsequioque erga Christum nihil officientem reputent. Quæ quidem improba animi levitas hosce homines satis coarguit nunquam gustasse bona ista, quæ Christus concessit veræ suæ sponsæ, membraque proinde mortua esse ecclesiæ evangelicæ. Deinceps illud vel maxime dignum est meditatione nostra, hisce imprimis festis diebus, quibus memoriam effusi in hominum mentes divini Spiritus celebramus, ut, num eodem Spiritu, quo ecclesiam nostram in universum natam propagatamque monstravimus, contineatur animus noster, atque renati in prima nostra pueritia divino baptismi beneficio, retinuerimus eundem Spiritum fidei? nobiscum reputantes, agnoscamus nosmet ipsos, quinam & quales, cujusve regni membra, reipsa simus? Etenim duplex tantum in his terris est spirituale regnum, lucis & Christi alterum, alterum tenebrarum atque satanæ: quorum utrumque non externis locorum spatiis, neque fidei professione, quæ ore tantum fit, aut exteriorum rituum communiōne, sed animorum studiorumque consensu imprimis continetur. Jam igitur, qui Christi Spiritum haud habet, is nec illius civis est, ROM. VIII, 9. 14. quarum vero propterea partium fit, apparet. Neque huic illud quidem quidquam prodest, quod corpore atque ore quantumvis maximis intervallis ab antichristi regno videatur remotus, inque vera ecclesia Christi constitutus esse; cum spiritu atque animo eidem domino, cui antichristus, sit subiectus, eademque studia habeat. Atqui Christi Spiritus hocce præcipue negotium in hominum mente
sibi




sibi datum habet, ut eam Christi gloria totam repletam, hunc unum Servatorem magni facere, adhærere ipsi uni intensissimo amore, cæterasque cunctas res flocci pendere doceat, JOH. XVI, 14. Quid jam illi, quorum impurum os cunctaque vitæ studia aut summam ignorantiam aut omnino contemptum Christi beneficiorumque ejus produnt, docentque, omnium aliarum rerum, quam Christi amore, potius animum teneri? Spiritus sanctus intercedente verbo divino, Christi cognitionem atque fidem in nobis generat atque alit. Qui proinde Christi Spiritu regitur, is & gustavit & gustat divinam dulcedinem benigni hujus verbi, neque ipsi ulla major in his terris sapientia aut animi delectatio reperitur, quam divini verbi assidua atque jugis meditatio. PS. CXIX, 97-100. 103. 140. Quonam igitur Spiritu hi reguntur, qui non jam per integros dies atque annos, sed ne per totam quidem interdum vitam sublimem majestatem verbi divini secum cogitantes, summa levitate animi nugarum loco isto abutuntur, quantumque in ipsis est ex aliorum etiam animis omnem hujus divini libri reverentiam evellunt? Attendamus ad nosmet ipsos, CIVES! neque ullo modo speremus nos a tenebrarum atque antichristi regno liberatum iri, nisi turpitudinis nostræ sensu tacti ad Christum accedamus, quo ipse nos *ἐν τῷ* reipsa & vere, liberet. JOH. VIII, 34-36.

P. P.

IN IPSIS PENTECOSTES SOLEMNIBUS,
D. XXII. MAJI, MDCCLXIII.





the scale towards document



utque hac ratione huic verbo auctori-
s quædam humana inter eas constitue-
ntia miracula. Quid jam hæ rationes ad
a verbi divina auctoritas in confesfis est.
Reformatores non proprie istud suscepe-
re demum demonstrarent, JESUM esse
eius a Deo proficisci: sed ut istos, qui
religionem, revocarent ad ejus genuinam
im negligentia partim malitia misere cor-
ripit ab ipsis per miracula erat demonstran-
tia christiana vera & divina: sed tantummodo
veritatis Christi apostolorumque ostenden-
de debeat. Deinceps Messias, quod ad ex-
am attinet, multa erat abrogaturus, quæ
vinum, multa introducturus, quæ adhuc
erant, totam denique externam ecclesiæ
os suos immutaturus, novamque plane &
urus. Quæ cum cuncta ab ipso Deo essent
erentur Judæi, Messias luculentissimis
scriptus, inter quos, ut modo diximus, mi-
. Quo illud efficiebatur, ut neminem Ju-
um divinum, tanquam Messiam agnoscere,
recipere possent, nisi qui isto miraculorum
b. Lutherus ejusque amici, neque quid-
Christo & apostolis erat institutum & præ-
volebant, neque novam ecclesiæ formam
tam, auctoritate aliqua immediate divina
nquam didicabant, sed priscam illam for-
stolis profectam tam doctrinæ quam cul-
n cupiebant. Neque etiam post constitu-
& apostolis novam œconomiam, usquam
futurum esse quemquam, qui novis mira-
n doctrinæ & cultus divini genus sit intro-
cclesia in perpetuum alligata & adstricta est
(C) ad